MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80628-4

AUTHOR:

HENNEN, GERHARD

TITLE:

DE HANNONIS IN POENULO PLAUTINA...

PLACE:

MARBURGI CATTORUM

DATE:

1882

Master Negative #

92-80628-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87PE
Z

Hennen, Gerhard, 1859-
De Hannonis in Poenvlo Plavtina precationis qvae fertvr recensione alter Pvnica; scripsit dissertationem... Gerhardvs Hennen... Marbvrgi Cattorvm, typis C. L. Pfeilii, 1882.
48 p. 20 cm.




Thesis, Marburg.

34855

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-7-93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM


Association for Information and Image Management



1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

z, 4

DE

HANNONIS IN POENVLO PLAVTINA

PRECATIONIS QUÆ FERTVR RECENSIONE ALTERA PVNICA

SCRIPSIT DISSERTATIONEM

ATQUE AD IMPETRANDOS

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARBVRGENSIVM
ORDINI

PROPOSVIT

GERHARDVS HENNEN
TREVIRENSIS.



MARBVRGI CATTORVM
MENSE AVGVSTO A. MDCCCLXXXII.
TYPIS C. L. PFEILII.

OBNVBILA TENEBRIS LOCA
POETA AP. CIC. DISP. TVSC.
LIB. I.

GEORGETTAE SOPHIAE MARIAE
ELISABETHAE VILLEROY

SVMMAM REVERENTIAM OBSERVANTISSIME
TESTIFICATVRVS

HVNC LIBRVM

D

GERHARDVS HENNEN
TREVIRENSIS.

Praefatio.

Ex quo Seldenus in libro, qui de dis Syris inscribitur, primum versum punicum textus alterius difficultatibus, quibus impeditus tenetur, expediendum suscepit, temporis spatio maiore quam ducentis quinquaginta annis praeterito ita in explicandis Punicis Plautinis versati sunt interpretes, ut et fructus aliquos contentione et assiduitate consequerentur neque in tot tantisque laboribus negare possent, quin non pauca ad hunc ipsum diem parum paterent. Duae autem potissimum sunt caussae, cur qui adhuc in interpretandis Punicis Plautinis occupati fuerunt nondum quo tendebant pervenerint. Nam primum quidem rei ipsius difficultate, ad quam codicum ut palimpsesti Mediolanensis corruptio haud satis deploranda adiungitur, factum est, ut recta interpretatio aut prorsus non reperiretur aut quae a plerisque in hoc explicandi genere effecta erant ut incerta nec satis magna argumentorum vi fulta aliis plane improbarentur. Deinde interpretandi rationem ipsam memoria repetentes nonnullos interpretes rectam interpretandi viam videmus ingressos non esse. Nam ubi primum Iustum Iosephum Scaligerum secuti Seldenus et ceteri interpretes ad enarranda Punica Plautina plurimum studii et laboris conferre coeperunt, non defuerunt qui ne ab initio quidem rectam explicandi rationem adhibentes in dies magis a sano cogitandi genere abalienarentur. Hic enim e lingua mexicana, ille e melitensi, tertius e gae-

lica aut hispana aut Bascorum opinatus est Punica tanquam eruenda esse. Nos sane quidem miramur hoc tempore tantorum conaminum fatuitatem. Altero autem loco qui ab hac rerum novitate abhorrentes linguis semiticis ad explicandum sibi opus esse iudicaverunt, ad consideratiorem iam investigandi modum multo propius accesserunt. Sed quum inde a Seldeno usque ad Hitzigium et Moversium nonnulli nescio an doctrinae quadam ubertate commoti ad totum linguarum semiticarum apparatum revocassent interpretationem, fieri non potuit, quin Punica non nunquam sic transferrentur, ut tales explicationes minus ad virorum eruditorum gravitatem quam ad risum iocumque spectarent. Ab illo periculo alieniores fuerunt, qui linguam hebraicam solam esse censebant regulam, ad quam explicatio dirigenda esset. Qui tali modo rem tam diu perperam tractatam ad novum quoddam explicandi genus reduxerunt, ut Gesenius, Wexius, Schroeder, Neubauer, alii, nimia rei difficultate coacti permulta aliis explicanda reliquerunt. —

Hac autem in re illud videtur cavendum esse, ne quis censeat me Punica velle nihil esse nisi Hebraica; quod quidem et alienum est a veritate et exemplis quum aliunde (כון = היה) tum ex ipsis Punicis Plautinis petendis (syllohom) refellitur.

Equidem cur nunc nova de Punicis apud Plautum occurrentibus docere instituam, in eo quaerenda est caussa, quod me laude parva haud indignum iudicavi futurum esse, si critice exponerem, quae interpretum opera adhuc aut essent profecta aut non essent. Videntur enim illorum, qui fabulas plautinas ediderunt, nonnulli, ut Geppertius, qui explicationes moversianas omnes textui, tanquam si dubiae prorsus non essent, in edenda Poenulo fabula inseruit, opinari interpretes iam ad laborum calcem pervenisse. Eam autem disputandi rationem sequar, ut in *quattuor* dividam hanc dissertationem partes, quarum *priores duae* pertinebunt ad examinandas virorum doctorum de recensione altera punica sententias; huius autem disputationis genus quum duplex sit alterum exegeticum, alterum metricum, prima quidem parte continebuntur quaestiones exegeticae, secunda metricae. In *tertia* huius dissertationis parte nisus re metrica et virorum doctorum interpretationibus quaeque mihi ipse invenisse visus ero textum recentiorem, quatenus illud fieri poterit, talem constituam, qualem antiquitus eum scriptum censuero. Metricam enim artem mihi prorsus non placet, ut Moversio aliisque visum est, praetermittendam esse in restituendis Punicis apud Plautum obviis. Sed hoc melius ex ipsa commentatione pernoscetur quam e praefatione. In *quarta* denique parte sequentur quaestiones criticae coniunctae cum grammaticis et lexicographicis. Nec vero hoc tempore Punica omnia mihi tractanda attribui; nam quum de singulis interpretum recentiorum potissimum sententiis uberius dicendum videretur, et quo perspicacius res exponeretur, *nunc quidem decem illos versus, quos Moversius recentiores appellavit, illustrare constitui.* Propediem ubi maius temporis spatium mihi praebitum erit, de iis, quae restant, disputare pergam. Sed priusquam ad ipsius tractationis exordium transeo, pauca mihi videntur de diversis punicis apud Plautum precationis illius, quae fertur Hannonis, recensionibus dicenda esse. Est enim distinguendum inter duas potissimum recensiones punicas, alteram antiquiorem plautinam palimpsesto Mediolanensi solo posteritati conservatam, sed multis locis corruptam, alteram recentiorem non plautinam (cf. IV. §. 1), sed integriorem atque e vestigiis antiquioribus cum novis coniunctis compositam. De hac ipsa altera recensione nunc quidem scripturus sum.

Iam quo melius perspiciatur, quantae virorum doctorum ad restituenda Punica Plautina contentiones non per singulorum annorum spatium sed per ducentos quinquaginta annos fuerint, et quo facilius cognoscatur hoc inceptum, quo demonstraturus sum, quae adhuc aut sint profecta aut non sint, non omni carere iure ac ratione, sequatur nunc praefationem litterarum ordo in annorum seriem digestus et mea opera e diversis de Punicis Plautinis libris collatus; Ioanni Gildemeister, linguarum semiticarum in universitate Bonnensi professori, quod in investigandis his litteris magna cum comitate me adiuvit, gratias ago aeque atque Iulio Caesari, qui bibliothecae Marburgensi praeest.

1608. I. I. Scaligeri ad Steph. Ubertum litt. 362. Lugd. Bat. 1608. Eiusdem ad frag. Graec. lib. pag. 32.

1610. Io. Ph. Parens in edit. Plauti. Francf. 1610. 8.

1614. Bern. Aldrete varias antiguedades de Espanna, Africa y otras provincias. En Amberes 1614. 4. pag. 180 — 239. cf. potiss. voc. Havdoni.

1617. I. Seldeni de dis Syris syntagmata II. Londini 1617. prol. c. 2. ed. II. Lugd. Bat. ex off. Bonaventurae et Abr. Elsev. A. 1629. 12. Hoc libello continetur primi versus textus recentioris interpretatio.

1630. S. Petiti miscellan. libri II. c. 6. Parisiis 1630. 4.

1630. Hugonis Grotii ad Gallos epist. 113. I. ed. 1630. II. ed. 1650. Lugd. Bat. ex off. Elsev. 12.

1636. Ath. Kircheri prodromus coptus sive aegyptiacus. Romae, typis s. congreg. de prop. fide. 1636. 4. p. 179. Continet I. versus interpretationem.

1637. Thomae Reinesii ἱστορούμενα linguae Punicae errori populari Arabicam et Punicam esse eandem opposita. In publicum producta op. T. Seifarti. Altenburgi 1637. 8.

1641. M. Goldasti interpretationes I. III. VI versus inveniuntur in Parei III. editione plautina. Francof. 1641.

1646. Samuelis Bocharti opp. omnia h. e. Phaleg, Canaan et Hierozoicon. ed. III. Lugd. Bat. 1692. fol. lib. II. c. 6. Punica ex Plauto. coll. 720 — 725.

1656. Claudii Salmasii epist. 18. ad Hug. Grotium. Lugd. Bat. 1656. 4. continet I. versus interpret. 4.

1681. I. Chr. Wagenseil, tela ignea Satanae retusa h. e. arcani et horribiles Iudaeorum adversus Christum et christ. relig. libri anecdoti hebr. et lat. cum confutt. Altdorfi 1681. 4. p. 411. Petiti explicationem affert Wagenseilius.

1685. St. le Moyne varia sacra seu sylloge variorum opusculorum graecorum ad rem ecclesiast. spectantium II voll. 4. Lugd. Bat. 1685. II. p. 113.

1688. Bibliothèque universelle et historique de l'année 1688. t. IX. Amsterdam 1688. 16. p. 252 — 256. cont.: Essai de critique où l'on tâche de montrer en quoi consiste la poésie des Hébreux par Jean Clerc.

1689. A. Bynaei de natali Christi. Amstel. 1689. 4. p. 102.

1691. Peritsol Abr. Itinera mundi sic dicta nempe cosmographiae hebr. et lat. ed. et notis illustr. Th. Hyde. Acc. Turcarum liturgia, peregrinatio Meccana etc. Oxon. 1691. 4. p. 45.

1700. Io. Braun, selecta sacra. Amstel. 1700. 4. p. 484.

1710. Casauboniana sive Isaaci Casauboni varia de scriptoribus librisque iudicia, observationes sacrae in utriusque foed. loca etc. ed. a I. Ch. Wolfio. Hamburgi 1710. p. 120 — 123.

1713. G. Henr. Sappuhnii commentatio philologica, qua nobilis linguae Carchedonicae reliquia ab A. Plauto Sarsinate actu V. sc. 1. et 2. fabulae, quae Poenulus in-

scribitur, adservata explicatur et ad dialectum aramaeam refertur. Lips. ap. I. Chr. Martini 1713. 12. 48 pp.

1730. Otto Verbrugge, observationes philologicae de nominum hebraeorum plurali numero. ed. I. Erlangae 1730. ed. II. cur. Chr. Ern. Windheim. 1752. p. 151 — 153. 8.

1750. G. P. A. de Soldanis della lingua Punica presentemente usata da' Maltesi. Rom 1750. 4. Interpretatio reducitur ad linguam melitensem; item in hoc libro:

1751. G. P. A. de Soldanis, Anone Cartaginiense cioè vera spiegazione della scena prima dell' Atto V. della comedia di Plauto il Poenulo. Rom. 1751. 4.

1756. Finettus, trattato della lingua ebraica e sue affini. Venezia 1756. 8. p. 129 — 136.

1765. Dorhoutii animadverss. ad loca selecta Vet. Test. Leovardiae 1765. p. 309 — 350.

1770. Bibliotheca arabico-hispana Escurialensis op. Michaelis Casiri Syro-Maronitae. tom. II. Matriti 1770. p. 27. Insunt duo priores versus ex Arabum lingua explicati.

1772. Charles Vallencey, Essay on the antiquity of the Irish language being a collation of the Irish with the Punic language. Dublin 1772. 4. Interpretatio repetitur a ling. gaelica.

1786. Eiusdem vindication of the ancient history of Ireland. Dublin 1786. g. 8.

1786. Velthusen, das Hohelied Salomos. Braunschweig 1786. p. 271 seqq.

1802. Oluf Gerhardi Tychsenii de linguae phoeniciae et hebraicae mutua aequalitate in novis Actis Regiae Soc. scient. Upsaliensis 1815.

1803. Fabricy, de phoeniciae litteraturae fontibus. Romae 1803. II voll. p. 255 sqq. p. 261 sqq.

1806. Göttinger gel. Nachrichten von 1806. st. 188. p. 1879 sq. continent recensionem libelli Bellermanniani novamque VI. versus interpretationem.

1806 — 8. Versuch einer Erklärung der punischen Stellen

im Poenulus des Plautus. 3 Stücke von Dr. Johann J. Bellermann. Berlin. 8. 1806 — 8.

1808. Göttinger gel. Nachrichten. 1808. p. 758.

1815. Mag. Muhlert: Leipz. Lit. Ztg. Nr. 171. 1815.

1823. Huehuetlapallan, Amerikas grosse Urstadt in dem Königreiche Guatemala, neu entdeckt von Cap. Don Anton. del Rio und als eine phoenikische, cananaeische und carthagische Pflanzstadt erwiesen von Dr. P. F. Cabrera in Neu-Guatemala. Mit 17 gr. Zeichn. in Steindruck, vielen myth. Gruppen, und Hieroglyphen aus Amerikas Urzeit enthaltend. Aus dem Englischen des H. Berthoud (London 1822) übers. Meiningen 1823. 8. u. fol. — id. lib. nach der englischen Uebers. der spanischen Originalhandschrift übers. und mit Anm. versehen von v. Minutoli. Berlin 1832. 8. u. fol.

1826. Bartholomaeus de Santa Teresa ap. Robianum. p. 78.

1826. De l'Ecluse: Grammaire Basque Toulouse 1826. 8. Interpr. revocatur in hoc libro ad Bascorum linguam.

1831. Das Ausland. IV. Jahrg. München 1831. Invenitur hic textus punicus cum gaelico Vallencei comparatus. p. 231.

1835. Robianus: Etudes sur l'écriture, les hiéroglyphes et la langue de l'Egypte et sur l'inscription de Rosette, suivies d'un essai sur la langue Punique par Mr. l'abbé comte de Robiano. Paris, imprim. royale. 1834. 4.

1837. De Punicis Plautinis scripsit Eduardus Lindemannus. Lipsiae 1837. 8.

1837. Scripturae linguaeque Phoeniciae monumenta quotquot supersunt edita et inedita ad autographorum optimorumque exemplorum fidem edidit additisque de scriptura et lingua Phoenicum commentariis illustravit Guil. Gesenius. Lips. sumpt. typ. Fr. Chr. Guil. Vogelii. III. partes. 4. p. III. cont. 46 tabulas inscr phoen.

1838. Jul. Wurm, Recension des Gesenius'schen Werkes in den neuen Jahrbüchern für Philologie und Pädagogik

herausgeg. von Seebode, Jahn und Klotz. VIII. Jahrg. XXIII. Bd. Leipz. 1838. 8. 1. Heft. p. 5 — 12.

1838. Fr. C. Wexii de punicae linguae reliquiis in Plauti Poenulo epistula ad Guil. Gesenium. Programma Schwerin. 1838. 24. p. 4.

1838. C. Wex in den Jahrbüchern für Philologie und Pädagogik l. c. Recension der Schrift Lindemanns de Punicis Plautinis. Heft I. p. 35 — 43.

1839. Fr. C. Wex de Punicis Plautinis meletemata ad Guil. Gesenium. Lips. 1839. 4.

1839. Ferd. Benary: Recension der „Monumenta Phoeniciae“ in den Jahrb. für wissenschaftliche Kritik, herausgeg. von der Societät für wissenschaftl. Kritik zu Berlin. Berlin 1839. Th. 2. p. 575 — 595. 4.

1839. Wilh. Gesenius: Recension der Schrift Lindemanns de Punicis Plautinis und der von Wex de punicae linguae reliquiis in Plauti Poenulo epist. ad. G. Gesenium. In der Hall. Allgem. Litteratur-Zeitung. Jahrg. 1839. Nr. 14 — 16. 4.

1842. Ewald: Ueber das Phoenikische der Inschriften und im Plautus in der Ztschr. für Kunde des Morgenlandes herausgeg. von Chr. Lassen. IV. Bd. Bonn 1842. 8. pp. 400 — 412.

1842. Wilh. Gesenius: Recension der I. Ewald'schen Abhandlung über das Punische im Plautus in der Hallischen Allgem. Litt. Ztg. 1842. No. 220 — 222. 4.

1843. Fr. Wex über die Punica im Plautus nebst Zusatz von Fr. Ritschl im Rhein. Mus. für Philol. N. F. II. p. 130 — 137. p. 160.

1843. Herr Professor Ewald in Tübingen als Punier gewürdigt von C. Wex. 1843.

1845. Ewald: Ueber das Punische im Plautus. II. Abh. in der Ztschr. für die Kunde des Morgenlandes herausgeg. von Dr. Chr. Lassen. VI. Bd. Mit 8 lith. Taf. Bonn 1845. 8. p. 228 — 244.

1845. Die punischen Texte im Poenulus des Plautus krit.

gewürdigt und erklärt von Movers. Breslau 1845. 8. 147 S.

1846. Ueber eine neue Erklärung des Punischen im Plautus. Zeitschr. für die Kunde des Morgenl. her. v. Lassen. VII. Bd. p. 70 — 82. Continet recensionem libelli moversiani ab Ewaldio scriptam.

1847. Etude démonstrative de la langue Phénicienne et de la langue Libyque par A. C. Judas. Paris 1847. 4.

1847. Munk, Palestine. Paris 1847. cont. VI. versus interpr.

1849. Hall. Allgem. Litter. Ztg. 1849. No. 68. p. 543. continet VI. versus interpr.

1850. W. Beeston, the interpretation attempted of the Phoenician verses found in the Poenulus of Plautus. London 1850. 14 pp.

1853. C. Wex Punica im Plautus. Rhein. Museum f. Philol. N. F. IX. Frankfurt a. M. 1853. 8. p. 312 — 315.

1854. F. Hitzig: Punisches mit Schrift und Sprache der Lateiner. Rhein. Mus. für Philol. N. S. X. Frankf. a. M. 1854. 8. p. 77 — 108.

1857. C. F. Wex: Rhein. Mus. für Philol. N. S. XII. 1857. 8. p. 627 — 630.

1860. Meier: Erklärung phoeniz. Sprachdenkmale. Tübinger Universitäts-Programm von 1860. 4. continet interpr. versus II. textus recentioris.

1865. Phoenicia by Iohn Kenrick. London 1865. ch. V.

1869. I. Dérenbourg, les vers phéniciens dans le Poenulus de Plaute. Iournal Asiatique. VI. série. tome XIII. p. 84 — 91. Paris, imprimerie impériale. 1869. 8.

1869. Ad. Neubauer, on the phoenician passage in the Poenulus of Plautus act V. sc. 1. Iournal of philology. vol. II. 1869. p. 324 — 330.

1869. Die phönizische Sprache. Entwurf einer Grammatik nebst Sprach- und Schriftproben. Mit einem Anhang enthaltend eine Erklärung der punischen Stellen im Poenulus des Plautus von Dr. Paul Schroeder. Mit 22 Tafeln. Halle 1869. kl. 4. 342 S. Text.

1871. De Punicis Plautinis commentatio, quam venia ampl. fac. philos. Lund. pro gradu phil. p. p. Anders Magnus Malmstroem. Lundae 1871. kl. 8. Hac dissertatione de Punicis ipsis nihil novi, de aliis rebus plurima offeruntur legentibus.

1873. I. M. Rodwell, on the phoenician passage in the Poenulus of Plautus in the transactions of the society of biblical archaeology. vol. II. 1873. p. 235 — 242.

Iam ipsius tractationis nascatur exordium. Codices plautini hac ratione a me significabuntur:

A = cod. Ambrosianus palimpsestus saec. IV; hoc codice non utar in I. et II. huius dissertationis parte, quippe quum decem illorum versuum altera recensio non contineatur libris manu scriptis primae (i. e. palimpsesto), sed secundae et tertiae classis. E tertia librorum classe codicem Lipsiensem adhibebo litteraque E significabo. Apparatum criticum summis curis a viris doctissimis Wexio, Gesenio, Ritschelio, Moversio collatum a Moversio potissimum petivi; codicis A collatio a Studemundo nuper diligentissime confecta invenitur apud Schroederum l. c.

B = cod. Palatino-Vaticanus sive vetus codex Camerarii saec. XI.

C = cod. Heidelbergensis (Palatinus primus) vulgo decurtatus saec. XII.

D = cod. Vaticanus Ursinianus saec. XII.

E = cod. Lipsiensis saec. XV.

Accedunt antiquissimae duae editt. ed. Ven. 1472, ed. Med. 1500.

Codd. = omnes hi libri MSS. plautini palimpsesto Mediolanensi excepto.

I.

Virorum doctorum de decem versibus recentioribus punicis (Poen. V. I) sententiae exponuntur, examinantur, probantur aut refelluntur et primum quidem illae, quae ad interpretationem pertinent.

§. 1.

De primo versu.

Primus versus et latinus et punicus hic est:

Lat.: Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt.

Pun. sec. cod. B: Yth alonim valon uth sicorathisyma comsyth.

Var. lect.: nythalonim D. n ythalonim ed. Ven. 1472. n in margine est. sytalonium E. — valonuth C. — sicorathisima D. E. ed. Ven. sicoratsima C. si corathissima ed. Med. 1500. — consith E.

Yth alonim valon uth. Jam Justus Scaliger vocabula illa, quae in huius versus initio leguntur, recte cognoverat idem valere atque 'deos deasque' illud latini textus, quam sententiam omnes fere interpretes sequi non dubitaverunt. At de exitu versus interpretes ita inter se dissentiunt, ut quae potiores quidem senserint quaerere nos oporteat.

sicorathi. Wexius interpretatus est שְׁקָּרָאתִי quos invoco. Idem existimaverunt Ewaldius, Moversius, Hitzigius, Schroeder. Atque ne quis miraretur, qua ratione fieri posset, ut sicorathi transscriberetur שקָראתי, Moversius hanc difficultatem tollere studuit dicens (l. c. p. 60) primum re ipsa, deinde Hieronymi auctoritate nos eo adduci, ut vocalium O et A varietatem desineremus nimis novam putare. Sed primum quidem ex ipsa re nihil efficitur: neque enim idcirco, quod sicorathi a nonnullis interpretibus idem dicitur esse ac שקראתי, res ita se habet. Deinde quod Moversius Hieronymum affirmat קראתי scripsisse corathi, nescio quo pacto in magno versatur errore. Neque enim tale quicquam repe-

ritur apud Hieronymum. Scripsit enim (opp. tom. III. p. 543): Verbum hebraicum carath קראת et voca et clama et lege significat — et alio loco (p. 532): קראת carath et lectionem et clamorem et praedicationem pro sui ambiguitate significat. Quae quum ita sint, difficultas illa, de qua agitur, minime sublata putanda est. Iam alii aliam explicandi viam ingressi sunt. Velthusenius censuit sicorathi esse זִכַּרְתִּי, cui Bellermannus et Gesenius adstipulati sunt. Quod si verum esset, vocabulum illud non sicorathi sed sicarthi scriptum esset. Nec melius Derenburgius sicorathi שִׁחַרְתִּי videtur interpretatus esse; est enim cavendum, ne nimis a codicum auctoritate recedamus, et Derenburgii explicationes plerisque locis a codicum scriptura alienissimae sunt. — Multo autem propius ad rectam explicandi rationem mihi quidem ii videntur accessisse, qui tanquam ad regulam sic ad latina vocabula se dirigentes sicorathi vocibus plautinis 'qui urbem' respondere censuerunt. Quem in numerum primus Salmasius referendus est e sicorathi hebraicum שֶׁקֶּרֶת enucleans; quod quamquam minus bene ad codices quadrat, tamen a Lindemanno acceptum est. Sane quidem hoc multo consideratius cogitatum erat quam Dorhutii interpretandi conatus, qui sicorathi שְׁקָרְתִּי esse opinatus est. Bochartus, quem Clericus et Wurmius secuti sunt, scripsit שֶׁכּוֹרַת. Equidem non dubito vocalibus solis mutatis cum Salmasio consentire. Redibo ad hanc rem in tertia huius disputationis parte.

symacom. Vocabulum symacom interpretantium duo sunt genera, alterum verbum, alterum substantivum esse dicentium. Nam ex quo Seldenus in litteris illis מָקוֹם invenisse sibi visus est, multi exstiterunt interpretes, qui substantivum in symacom inesse rati ab alia explicandi ratione abhorrebant. Explicabant autem symacom שֶׁמָּקוֹם qui loci (locum). Sed primum duplex pron. relativum a latino textu alienum est, deinde verisimilius videtur nomen urbis in versu punico ut in latino inesse, tertio autem loco verbum colendi versus

plautini desideratur. His fere argumentis adducti Bochartus et qui illum secuti sunt isymacom verbum esse putaverunt scribentes יִסְמְכוּן, quae quidem interpretatio mihi etiam multo magis probaretur, si melius cum metrica re congrueret. Quam ob rem ipse in III. huius lucubrationis parte experiar, num difficultatem illam alio modo tollere possim.

syth. Ultimas has litteras plerique זאת voluerunt esse ad macom revocantes. Quae explicatio quoniam minus mihi placet, ipse aliam l. c. proponam et metricae rei sufficientem et cum latino versu artius cohaerentem.

Nunc de Neubaueri et Rodwellii interpretationibus pauca seorsum dicenda videntur. Quorum quum prior versum, de quo agitur, sic restituere conaretur, א׳א׳ו׳ זֶה קֶרֶת וזה מקום זאת transferretque 'To the gods and goddesses of this city and this place this (prayer I make)', primum ita peccavit, ut litteram I post SICORATH mutaret scribens VSI neque hac commutatione grammaticae regulae repugnante prorsus quicquam assequeretur nisi duorum pronominum cum substantivo macom coniunctionem, e quibus alterum זה masculini, alterum זאת feminini generis est. Praeterea ipse haud ignoravit, quanto opere displiceret pronomen זה cum subst. fem. קרת coniunctum. Accedit quod substantivi alonim status constructus requiritur neque ulla ratione demonstrari potest verborum iuncturam חמלה אכן v. 2 accusativum obiecti yth alonim valonuth regere.

Rodwellius primum hunc versum tali modo se restituisse existimat: נא א׳א׳ו׳ שְׁקוֹרֵא אֲתִי שמ׳ ז׳ i. e. Now (?) on the gods and goddesses of this place I call. In hac explicatione nova sunt haec duo vocabula נא = nunc, quod adverbium in versu plautino non legitur, et pronomen אתי = אנכי. Censeo equidem optimum esse exspectare paululum, dum vocabula illa in litterarum monumentis occurrant investigantibus; decet enim minime plane incognitis adhuc vocibus et quasi interpretum angustiis oriundis ad expediendum hunc textum uti. Quae cum ita sint, haec vocabula in

2

primo hoc versu censeo bene enucleata esse: yth, alonim, valonuth (I. I. Scaliger), si, corath (Salmasius).

§. 2.
De versu secundo.

Text. lat.: Ut quod de mea re huc veni rite venerim.

Cod. B: chym lachunythmumys thral mycthi baruimy sehi.

Var. lect. chyn E — lach chu DE ed. Ven. lah chu C — ys tyal my D ed. Ven. is tyal nu E ys thyal my C — In codice B quum teste Ritschelio y et r facile inter se confundantur, scriptura thral, baru dubia est. — ru im C rij im D rii im E ed. Ven. — isehi C ischi E idem Pareus in B exstare ait.

Eorum interpretum de hoc versu e decem illis punicis haud dubie difficillimo sententias, qui inde a Moversio exstiterunt, examinaturi ordiamur, si placet, a moversiana interpretatione. Moversius secundum hunc versum sic interpretatus est: יְמֻּלָא כָּנִי תְמוּם אֶשְׁתְּאַל מֵיתִי בְעָר וְעַם אֲשֶׁהִיא i e. Dass vollendet werde meine Absicht ganz, bitte ich, kommend in diese Stadt und zu deren Bewohnern. Secundum vocabulum Moversius fut. Ni. verbi מלא dicit esse scribens ‘mla.’ Officit huic explicationi quod media vocalis A desideratur. III. nomen dicit esse כַּן et suff. I. pers. sg. Haec autem interpretatio propterea non satis certa videtur, quod subst. כַּן neque apud Hebraeos neque in lapidum monumentis phoeniciis invenitur. Idem thmum respondere ait adverbio chaldaico תמים idque punice esse תמום, quod adverbium in dubium vocare licet num re vera apud Poenos in usu fuerit. In explicando sequente vocabulo Moversius Ewaldio adstipulatur, qui ‘peto’ e codicum scriptura eruit. Hoc idcirco nobis minus probatur, quod iidem sic transferunt duos priores versus: deos et deas, quos INVOCO, huius loci, PRECOR, ut consilium meum plane perficiatur. Cur duplex illud petendi verbum, quod ne in plautinis quidem versibus legitur? Iam vocem sequentem mycthi interpretans Moversius etsi litteram C, quam omnes codices praebent, neglexit, tamen hac mutatione nihil in meliorem statum reduxit; extrema enim haec nomina mythi bar uim ysehi ab eodem transferuntur: ad urbem et populum, qui ei (??), quae interpretatio quum a versu plautino alienissima sit, mihi quidem tota reicienda videtur.

Transimus ad iudasianam explicandi rationem. Iudasius secundum hunc versum tali modo interpretari conatus est: כִּי מַהְלְכִי תַּם וּמְצָא אֶל מְדַבְּרִים חִשְׁקִי i. e. verbum ex verbo: utinam iter meum compleatur et obtingat rite (secundum dicentes) desiderium meum. Iudasius secundum vocabulum dicit esse מהלכי iter meum, quae vox, quoniam hebraice scribenda est מַהֲלָכִי, mihi videtur nimis audacter formata esse. Deinde hebraicum illud vocabulum non significat iter, sed tempus itineris et ambulationem. Accedit quod in codicibus non legitur mhalchii, sed quum in cod. B mlachu, in C mlah chu, in D mlach chu reperiatur, facile apparet scripturam illam Iudasianam transpositis litteris h et l et littera u in ii divisa magis commutatam esse, quam cui fides habenda videatur. Quae in libris MSS sequuntur litterae hae sunt: NYTHM. Cur Iudasius litteras ny oblitus sit explicare, equidem mente comprehendere nequeo. Idem cernere non possum, ubi in codd. scriptura THM vocalis A, quam Iudasius inter th et m adiecit, inveniatur. Nec minus temere idem litteras sequentes VMYSTHR (B) VMYSTHY (C) VMYSTY (D) punice transscribit ומצא omissa littera T (H), quam omnes libri MSS servaverunt. Adverbium latinum ‘rite’ Iudasius punice censet esse אל מדברים ‘secundum dicentes’, quae interpretatio non solum coacta et contorta est, sed etiam a codd. scriptura nimis abhorret Legitur enim in codice B — ALMY CTHIBARVIM (— RYIM — D). Praeteriit igitur Iudasius litteram C, quae est in omnibus libris, et litteras TH transcripsit hebraice ד; omisit denique litteram V ante ultimam. Extremas in hoc versu litteras Iuda-

sius significare contendit desiderium meum חִשְׁקִי, qua in re cum Gesenio consentit. Haec autem explicatio propterea non accipienda videtur, quod in versu latino prorsus nihil de ullo desiderio legitur. Ipse aliam interpretandi viam in tertia huius commentationis parte ingrediar.

Hitzigius secundum hunc versum sic interpretatus est: כִּי מְלַאכְתּוּנִי אֶתְמוּם אשתאל מְטְאִי בַּר וְאֶמֶּשׁ יְהִי i. e. dass ich mein Geschäft vollenden möge, bitte ich, zu finden (mein Finden) Frömmigkeit, und nachgerade gelinge es. Hitzigius secundum vocabulum dicit compositum esse ex substantivo מלאכה et suff. וני I. pers. sg. Hoc propterea minus placet, quod H. in litteris MLACH interpolavit litteram T scribens MLACTHVNY. Accedit quod suffixum וני — non exstat. Idem thmum dicit esse אתמום, quod non placet, quia a futuro vulgari verbi תמם (cf. inscr. Tharri. 1, ubi יתם legitur), alienius est. מטאי בר = ut reperiam pietatem interpretatur Hitzigius. Priore quidem loco num in versu plautino de pietate disputatur? Praeterea non legitur in codd. MYTI sed MYCTHI. Denique de duobus ultimis vocabulis interpretationis Hitzigianae 'postea (אמש?) fiat' nihil in versu latino legitur. — Derenburgii interpretatio haec est: כי יְמַלְּכוּן אית מְמוּשָׁתִי אֶל מוּל דִּבְרֵי מוּשִׁי i. e. pour qu'ils dirigent mon chemin vers le but pour lequel je suis venu. In interpretando secundo nomine Derenburgius novam significationem verbo מלך subiecit. Tertiam vocem Derenburgius ex codd. scriptura MVMYSTHY eruit. Apparet vocalem A, quam ille inter s et th adiecit, in libris MSS non exstare; praeterea ne substantivum quidem ממושת exstat in Phoenicum litterarum reliquiis adhuc repertis. In voce sequenti מול Derenburgius codd. litteram C mutavit scribens L nec minus temere litterae sequentes THIBARVI transcribuntur hebraice דברי, quam quidem interpretationem animo contemplans non possum non dubitare vehementer, num et litterae TH reddi possint punice litterâ ד et vocales VI exprimant hebraicam vocalem ֵי. Et ne ultimum quidem vocabulum a codd.

scriptura non abhorret; nam in MYSEHI litteras HI plane neglectas esse cognoscitur. In enumerandis his crebris codicum commutationibus, quibus Derenburgius magis quam quisquam alius indulsit, ita nobis sentiendum videtur, ut qui reliquias has linguae multa iam saecula oblivioni traditae restituendas suscipiens in nullo fere vocabulo codicum scripturam non tangat, illum censeamus difficultates vocabula punica nos intellegere impedientes non tam tollere quam novas creantem in dies magis a dissipanda harum litterarum obscuritate abalienari.

Schroeder secundum versum sic explicat: כי מלאכוני אֶתְמֵם אשתאל מֵיטִיב אֱרוּ אִם חשקי i. e. Dass ich meine Angelegenheit gut zu Ende bringe, bitte ich; sehet, dies ist mein Wunsch! Secundam vocem Schroeder statuit esse substantivum מלאכון negotium et suff. י, qua in re hoc unum dolendum est, quod substantivum illud usque ad hunc diem nondum repertum est in reliquiis linguae punicae. Utinam caveant aliquando interpretes, ne tot nova vocabula invenientes impediant magis interpretationem quam adiuvent! De forma אתמם idem videtur dicendum esse, quod de Hitzigii אתמום. מיטיב idcirco non placet, quod e litteris CTH C et H patet omissas esse. Ultima vero versus punici pars: 'videte, ecce desiderium meum' ex versu plautino non agnoscitur.

Novam secundi huius versus interpretationem a ceterisque maxime abscedentem Neubauer proposuit vocabula punica litteris hebraicis tali modo transscribens: חמלה אכון שֶׁתְּמַם יִשְׁתַּלֵּם איתי בעיר ומציאהי i. e. prayer I make, that fully completed my coming into the town may be, and that I may find. Cuius explicationis grammaticam rationem si animo contemplamur, hoc nobis videtur magno opere mirandum esse, quod Neubauer vocabulo חמלה, quod clementiam, miserationem significat, precationis vim subiecit. Secundum vero vocabulum num 'I make' significare possit, licet in dubium vocare. De adverbio תמם, quod Moversius repperit,

iam disputatum est; praeterea non legitur in codd. SYTMIM, quod voluit Neubauer, sed YTHMVM neque praefixum ש ut finali respondet. Idem quum has codd. litteras YSTHYALM scripserit YSTALM explicans ישתלם = perficiatur, equidem huic interpretationi propter a adstipulari non possum, quod a. codd. scriptura duobus locis mutata est, b. inter litteras L et M vocalis E requiritur, c. littera L duplicata non est et, si duplicaretur, d. vocalis sequens etiam multo minus desiderari posset. Utriusque vero infinitivi grammaticam structuram ab omni grammaticae regula longissime recedentem considerantibus nobis hoc certe videtur multo optabilius esse ab explicandis Punicis Plautinis omnino desistere quam non desinere interpretationem ad exceptiones saepenumero normae grammaticae maxime repugnantes revocare.

Quam ob rem ut illos, quorum explicandi ratio grammaticis et peccatis abundat et exceptionibus, nulla spes est eo, quo tendunt, perventuros esse, sic qui versus plautinos normam non censent esse, ad quam reliquiarum punicarum interpretatio dirigenda sit, periculum est, ne risum moveant legentium. Rodwellius quidem periculum illud non effugit. Sic enim hebraice transcribit hunc versum כי ימלחון את מומים יש לי על מחה בריים איש i. e. To cleanse my stains that so I may be spotless i. e. ut purgent maculas meas, ut ita sim liber maculis. Quam interpretationem qui hunc libellum legent precor hos, ut comparent cum versu plautino: Ut quod de mea re huc veni rite venerim. Verbum non amplius addam.

Posteaquam variorum interpretum de difficillimo hoc versu sententias critice et exegetice satis, opinor, illustravi, magno ipse dolore afficior perspiciens ex tot litterarum ordine non plures quam tres CHY (כי) e tenebris, quibus tanquam involutae tenebantur, ad lucem eductas esse.

§. 3.

De tertio versu.

Textus latinus hic est:

Measque hic ut gnatas et mei fratris filium. —

Hic versus num sic recte legeretur, Wexius dubitavit versiculum, qui in codd. post quartum versum latinum invenitur: 'quae mihi subruptae sunt (D surreptae sunt mihi) et fratris filium' coniungens cum tertio hoc versu et ex utroque eiciens vocabula 'et fratris filium', quia non fratris filius, sed, quod doceret ipsa comoedia, filiae solae quaererentur ab Hannone. cf. Mus. Rhen N. S. IX. p. 313. Wexianum hunc emendandi conatum Hitzigius secutus est cf. Mus. Rhen. N. S. X. Ceteri autem interpretes quintum illum versum spurium rati expunxerunt, quod ne nos quidem facere dubitamus.

Versus punicus cod. B hic est:

Lipho canethyth by nuthi ad edynby nui.

Var. lect.: lypho E — binuthu C bynuthij D bynuthyy E bynuthii ed. Ven. — adaedin C ad ędin D adaedem E adaedin ed. Ven. — binuthu C binuthij D binutyi E bynuthii ed. Ven.

Moversiana huius versus interpretatio haec est: לְפה קָנֶת את־בנותי יַחַד אֱידֵין בן־אחי i. e. ut hic recuperem filias meas una cum iis filium fratris mei. Haec Moversii explicandi ratio nunc videamus quatenus cum codicum scriptura consentiat. קנת quum in membranis caneth scriptum sit, efficitur ex hoc, ut num explicatio illa recta sit in dubium iam vocetur, si vocales solas respicias; nec vero קָנֶת scriberet quisquam, quia nullo pacto videtur concedi posse infinitivum verbi קנה apud Poenos his vocalibus praeditum fuisse. Grammaticae vero hebraicae normam si sequare, fateare necesse est, quoniam infinitivus verbi קנה apud Hebraeos קְנֹת pronuntiabatur, sequi ex hoc, ut, quoad e monumentis lapidum nummorumque cognitum non est inter punicam huius infinitivi formam et hebraicam interfuisse quicquam, multo cer-

tius a vulgari huius infinitivi forma non abeamus. לפה autem propterea minus placet, quod praepositio ל ab infinitivo seiungi non potest. יחד a Moversio ex codd. scriptura 'ad' ita compositum est, ut praecedentis vocabuli bynuthij (D) litterâ j, quae in ed. Ven. i, in cod. E y scripta est, cum litteris sequentibus coniunctâ legeretur 'iad'. Hoc vocabulum per se haud displicet; magis autem placeret, si comprobari posset in lingua punica pronomen אידין exstitisse, quocum coniungitur 'iad'. Sed aliter ipse hanc difficultatem in III. huius dissertationis parte tollere conabor.

Iudasii interpretatio haec est: לפה קְנֹת בנותַי עֲדעַד בן־אחי i. e. Ad hic redimendas gnatas meas, praedam infandam, et filium fratris mei. Iudasiana haec interpretatio infelicior est quam moversiana, quippe quum primum קנת nimis a librorum scriptura CANETH alienum sit; deinde litterae YTH post caneth omissae sunt, tum aded punice עדעד fuisse propter vocalium inter se differentiam difficile est credere; denique post litteras aded video litteras YN praetermissas esse.

Sequitur iam Hitzigii interpretatio, qui versum, de quo disputatur, sic sibi explicavisse visus est: יהי לי פה קְנֶת את־בנותַי עָדָה עַד אֵין בְּנוּחִי i. e. verbum ex verbo: es gelinge mir hier zu gewinnen meine Töchter, die man als Raub geraubt hat nicht gerade mit meinem Wohlbenehmen!? Qui quum ad wexianam III. versus emendationem, de qua supra dixi, Punica restituenda censeret, verbum surripiendi quaerens ada ed (cod. E ed Ven.) contendit esse עַד עדה. Sed ed, opinor, non pronuntiaretur עַד et עדה num significet 'vi abstulit' vehementer dubito. Praeterea non legitur in textu latino 'non cum gaudio meo' ob eamque caussam talis interpretatio iam per se maxime ridicula non reici non potest.

Atque ne Derenburgii quidem explicatio certius quicquam nos docuit. Sic enim ille tertium hunc versum restituisse sibi visus est: לְפְגֹעַ הֵנָּה אית בנותַי הַתֹּעֹה עִם בן אחי i. e. afin de rencontrer ici mes filles qui se sont égarées en

même temps que le fils de mon frère. Ac primum quidem in omnibus membranis li(y)pho non liphgo[a] legitur. Eodem modo caneth non enath, ad ed non atooth scriptum est; in voce yn littera N (Derenb. M) invenitur in praestantioribus codd. B C D ed. Ven. (cod. E habet solus M).

Schroederi interpretatio ita a moversiana recedit, ut li (E ly) dicat esse לו utinam et caneth' explicet קָנִיתִי recuperem. Haec verborum iunctura quoniam haud male cum libris MSS congruit seseque ad grammaticae normam accommodat, cur improbaretur non esset, nisi hac versione „utinam recuperem" et desideraretur verbum sinendi quarti versus latini „ut . . . reperire me siritis" et, quod etiam molestius est, in rem metricam peccaretur. Sane in hoc versu: liphó canéth' yth ‖ bўnúthi iad ‖ édin bín ui utramque caesuram legitimam et *πενθημιμερῆ* et *ἑφθημιμερῆ* haberes, sed in exitu versus penultima longa et praecedens syllaba, quamvis brevis esset careretque caesurae emolumento, accentu praedita esset. Praeterea Schroeder longam syllabam i vocabuli bynuthi corripuit, quamvis syllaba i naturâ longa esset. Redibo ad hanc rem in II. et III. huius disputationis parte.

Reliquum est, ut paucissimis de Neubaueri et Rodwellii interpretationibus disputemus. Prioris interpretatio a moversiana non recedit nisi duobus locis: לפה כאנת אית בנותי יחד הדין בן אחי. Scripsit enim Neubauer pro אדין, quod habet Moversius, הדין idemque secundum vocabulum dicit esse כאנת, cuius vocis significatio ex hac translatione: 'here my daughters together with the son of my brother' erui non potest. Rodwellius autem sic explicat hunc versum: לפורקן יתי? את בנותי עֲדִי העדן? בנותי i. e. to recover for me my daughters, the joy of my old age, my daughters. Difficultatum haud parvarum haec interpretatio plena est; neque enim cognoscitur, unde accusativus את בנותי aptus sit; deinde minime perspicuae sunt illae voces, quas signis interrogandi notavimus. Denique in versu latino neque de gaudio neque de senectute quicquam reperitur.

Quae quum ita sint, haec vocabula nobis videntur dubia non esse: pho . . . yth . . . bynuthi . . . byn . . . ui . . . אָחִי . . . בן . . . בנתי . . . את . . . פה

§. 4.

De quarto versu.

Quartus versus talis est:

lat.: reperire me siritis, Di vostram fidem!

sec. cod. B: bymarob syllohomaloni murby my syrthoho.

y lect. var.: birnarob C byrnarob D ed. Ven. — uyby C uby D iuby E uby ed. Ven. — mysyithobo E misyrthoho ed. Ven.

Moversius hunc versum sic litteris hebraicis transcribit: בְּמָרוֹב שֶׁאלהים עלונים וּבְמֵישַׁרְתמוֹ i. e. verbum e verbo: per regimen deorum et per iustitiam eorum. Instituentibus nobis codicum scripturam ponderare cumque Moversii explicandi ratione comparantibus hoc primo quidem loco videtur mirandum esse, quod omnes libri MSS in voce syllohom litteram L bis scriptam habent; moversiana autem explicatio non admittit litteram illam nisi semel. In eodem vocabulo quamquam ultima hom scripta est, tamen Moversius him putavit pronuntiandum esse. Praeterea minime constat vocabulum אלהים apud Poenos in usu fuisse. Sic et verborum inscientiâ et codicum crebra commutatione maxime efficiuntur interpretum angustiae. Ut enim illud periculis erroribusque abundat ad novas voces alibi non reperiendas referre interpretationem, sic non minus periculosum est libris saepenumero mutandis putare veram scripturam facilius inveniri. Hoc peccandi genere Moversius quoque implicatus est. Sic iam duabus litteris in una voce syllohom mutatis extremam huius versus consonantem, quae in plerisque libris H est (E solus praestat B), idem M scripsit. Nec vero hac mutatione profecit quicquam, quia et ipsum vocabulum מישרת, ut מרוב in initio versus, a Moversio excogitatum est; מרוב

autem a ריב ductum ut fidem, regimen significet fieri non potest

Ut Moversius, sic ceteri quoque interpretes hunc versum putaverunt circumlocutionem esse exclamationis 'Di vostram fidem'. Ut enim Iudasium, qui nihil de quarto hoc versu dicit, praetereamus, Hitzigius hanc interpretationem probari volt: בְּמַעֲרָב שֶׁלְּהֶם עֶלוֹנִים וּבְמֵישַׁרְתָּהוּ i. e. per patrocinium, quod iis, dis, (est), et per sinceritatem eius sc. patrocinii. Ac primum quidem מערב non notat patrocinium, deinde in voce alonim non perspicitur, cur littera L ab Hitzigio scribente עַל' duplicata sit, praeterea עלנם punicum vocabulum non est. Secundi vocabuli explicatio satis certa est et unam subitura videtur parvam commutationem. Nam quae Ewaldius de syllohom disseruit (1845, l. c. p. 235) magis nobis placent quam Hitzigii interpretatio. Qui quum in voce illa suff. II. plur. agnosceret, scripsit haud dubitanter שֶׁלָּכֶם litteris et punctis usus hebraicis, punice syllohom. Infra, ubi textus antiquioris vocabulum ISTHYMHI explicabitur, litteram H altero exemplo cognoscemus transcribere potuisse כ hebraicum.

Derenburgio placuit haec interpretatio: בְּמַעֲרָב אֲשֶׁ(ר) להם אלנם וּבְמִסְתָּרָם i. e. in loco, qui iis (est), o dei, et in refugio eorum. Liceat hanc interpretationem cum codicum scriptura conferre. Substantivum מערב non locum significat, sed occidentem, mercaturam, commercium. איש = ys non invenitur in membranis; inverso enim litterarum ordine reperitur sy. Et si Derenburgii explicationem codices tuerentur, tamen duplex littera L in llohom nondum explicata esset; multo potius scribendum erat שלהם. In interpretando vero ultimo vocabulo Derenburgius mysyrthoho (— bo E) emendaturus scribit mystoram. His et talibus interpretandi artibus non est difficile intellegere prospero eventu carendum esse.

Schroederi explicatio consentit cum Hitzigiana exceptis his duobus vocabulis alonim et bymysyrthohom, quae Hitzigius עלנ' et במשרתהו scripsit, Schroeder אל' et במשרתהם.

Nova autem et mira ratione Neubauer hunc versum sic explicat: בְּמָר וּבְשָׁלִיחִים אלונים וּבְמְשַׁרְתֶהוֹ(ם) i. e. with (the assistance of) the master, the envoys of the gods and their (his) servants. In syntaxim linguae hebraicae ita peccatum est a Neubauero, ut statum absolutum, quem dicunt, coniungeret constructi loco cum substantivo alonim. Praeterea, si litteras OBSYLLOHOM comparamus cum Neubaueri interpretatione ובשליחים, primum animadvertimus litteram L, quae in membranis bis exstat, semel scriptam esse, deinde in quaestionem vocare licet, possitne vocalis O respondere vocali י. מר autem propterea displicet, quod syriacum magis est quam hebraicum aut, si lapidum monumenta respicimus, punicum. At vero ultimam vocem examinanti Neubauer rectam interpretandi viam mihi videtur ingressus esse; Neubauer enim quid sentiret quum nondum cognitum haberem, reputando me perspexisse putabam mysyrth idem esse atque hebraicum משרת. Sed de suffixo et interpretandis iis litteris, quae inter alonim leguntur et mysyrthoho disputabo, si placet, in III. huius dissertationis parte. — Sequatur nunc rodwelliana haec quarti versus interpretatio: בבין הרוב של לו הוא בימי שיר תוהו i. e. out of the abundance which was his, there is a void in the day of song (ex abundantia illius, est lacuna (in) tempore cantus?!). Nos quoniam ad decem illos versus plautinos tanquam ad regulam censemus interpretationem dirigendam esse, supervacaneum arbitramur respicientes hunc versum latinum: reperire me siritis, di vostram fidem! verbum de interpretandi illo conamine novitate sola insigni addere.

Quae posteaquam de recentiorum potissimum interpretum explicandi studiis disputavimus, haec huius versus punici vocabula bene restituta esse iudicamus: SYLLOHOM hebraice שלכם (sec. Ewaldium), ALONIM litt. et punct. hebr. אלנם, mysyrth hebraice משרת (sec. Neubauerum).

§. 5.

De quinto versu.

Quintus versus latinus est:

sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit.

pun. cod. B.: byth lym mothyn noctothu ulechanti damaschon.

var. lect.: bythlim C. bithilim E. — mocto C. noctho E — thuulech C thu ultch E thii uelech ed. Ven. — dasmachon C D.

Quintum hunc versum Moversius sic interpretatus est: בְּעֵת עֵילְמוֹת עִינְבֹה תְהֹלֵךְ אנטידמסכון i. e. (in) tempore praeterito hic (fuit) hospitium Antidamae. Priusquam ad criticam expositionem transimus, dicere nos oportet duo vocabula עינבה, תהלך, quibus Moversius ad interpretandum usus est, in litterarum monumentis nondum reperta esse, praeterea vox עילמות non notat tempus praeteritum. Critice vero explicationem moversianam examinantes primo quidem loco animadvertimus secundam interpretationis vocem עי' non potuisse scribi lym moth; prima enim syllaba non potuit a scribente praetermitti; deinde alienum est a Moversii explicatione quod libri MSS omnes litteram m bis scriptam habent. Porro quum in codd. B D ynnocto, C ynmocto, E ynnoctho legatur, tamen Moversius litteram t, quam libri omnes praebent, elidit; idem litteram n dupliciter scriptam neglexit, et quod non solum עינבה sed etiam אִנבה scribi posse affirmat, coniectura hoc nititur, non veritate.

Hitzigius littera T eiecta e ceterarum litterarum ordine ynnocto dicit esse ynno co הנה כה ecce hic, quae interpretatio idcirco magis nobis probatur, quod caesura πενθημιμερής tali modo restituitur. Proponimus autem, ut servata littera T, sed paululum mutata restituatur ynno cho; perfacile enim fieri potuit, ut pro CHO a librario legeretur CTO; inde in codicem E a scribente illata est littera t (ctho) Vocalis O in ynno v. 5, 7 propter sequentem vocem cho videtur sic pronuntiata esse, quoniam eadem vox in nono versu alio

vocabulo sequente (id) ynny scripta est. Similiter Schwa mobile quum in textus recentioris versu sexto i scriptum inveniatur in voce liful, in antiquiore palimpsesti recensione u propterea scriptum est, quia altera vocalis u vocabuli luful praecedentem quasi attraxit. Ultimum vocabulum Hitzigius scribit Antidamas chon אנתדמם כָּן.

Ab his explicationibus longissime abest Iudasius, qui hunc versum sic interpretatur: בְּטֶרֶם מות ינוך אות לי ולך א׳ כון i. e. antequam mors te oppressit, signum mihi et tibi, Antidama, firmatum. Examinemus codicum scripturam. In codicibus non legitur bytyrym scriptum his consonantibus, sed bythlym; cognoscimus igitur litteras H et L neglectas aut mutatas et secundam vocalem Y in bytyrym additam esse. Cum sequente librorum vocabulo moth non consentit stat. abs. מוֹת, nisi chaldaicam vocem מוֹת (Esra 7, 26) inserere velis textui punico. Tertiam vocem ynnoc Iudasius dicit esse ינוך, quae forma codicum scripturam ynnoc comparanti mihi videtur sic pronuntianda esse יְנוֹךְ a ינה oppressit; sed minus probabilis est haec forma propterea, quod imperf. verbi ינה hebraice est יֹנֶה ob eamque rem potius scribendum erat יֹנֵךְ, quod cum codicum scriptura ynnoc non consentit. Perspicitur ex hoc mendo haud contemnendo laborare iudasianam hanc interpretationem. Idem post OTH litteram V (ii ed. Ven.) mutavit scribens LI i. e. לִי mihi; sed haec quidem hactenus.

Derenburgii haec explicatio בְּאִית לְמֹעֲדם מֹדַעַת הֵלֶךְ אנטדמם כֹּן i. e. Hic fuit quondam Antidamas, hospes meus — non minus insignis est quam iudasiana et inventis vocabulis adhuc incognitis et librorum MSS lectionibus neglectis. Nam primo quidem loco byth putat esse באית hic, quod vocabulum adhuc novum est. Secundi vocabuli interpretatio למועדים peccat in codices primum eo, quod in lymmothyn post m non licet caussis gravioribus carenti expungere litteram M omnium librorum MSS inter se consensione satis defensam; deinde th non transcribitur littera hebraica ד; denique in exitu huius vocabuli Derenburgius nullius codicis auctoritate fultus pro N affirmat M scribendum esse. Sic in uno vocabulo reperiuntur tres magnae codicum commutationes. Litteras sequentes noctothu ulech Derenburgius interpretatur מדעת הלך, quae vocabula respondere ait hospiti versus plautini. Nec vero haec explicatio congruit cum codicibus, in quibus omnibus littera C post no vel Mo (sic cod. C) legitur. Item littera T, quae in libris et editionibus post NOC invenitur, hebraice ד esse non potest; OTH vero עַת esse quis hoc credet? Sequitur litteras NOCTOTH littera V dupliciter scripta, quarum alteram praeteriit Derenburgius, alteram dixit esse הֵ, quod propter vocalium differentiam verisimile non est. Ultimum vocabulum, quum vocalis Kamez perbene ô pronuntiata esse possit, utrum כָּן an כן scribendum sit non constat.

Sic Neubauer quoque chon illud explicavit versum, de disputatur, sic restituens: בעת עלמות הנה אִתִּי תהלך א׳ כון i. e. At a former time I had here a guest-friend Antidamas. Quae interpretatio quum Moversium maximam partem sequatur, iam ad rodwellianam huius versus explicationem transituris hoc unum nobis videtur memorandum esse vocabulum אתי nimis a codicum scriptura CTO CTHO recedere, quam cui fides haberi possit.

Rodwelliana huius versus interpretatio haec est בַּיִת לִי אִם מות אֵין נוחת אותו כחלד א׳ מקום i. e. If death had not come down upon him, the house of Antidamas should be my place. Haec interpretandi ratio duabus e caussis probanda non est primum ex eo, quod quatuor haec vocabula כחלד נוחת מות מקום repugnant codicibus, deinde quod sensus huius explicationis nimis alienus est a tanta versus latini simplicitate.

Quae quum ita sint, ab Hitzigio censeo litteras ynno cho i. e. הנה כה enucleatas esse; praeterea dubia non sunt

Antidamae nomen et III. pers. sg. m. praet. Kl. chon i. e. כן fuit; cetera tenebris adhuc operta sunt.

§. 6.

De sexto versu.

Sextus versus latinus est: Eum fecisse aiunt, sibi quod faciundum fuit;

pun. cod. B: yssiddobrim thyfel! yth. chil. ys. chon! chem! liful!

var. lect.: yssidobrim E yssidele brim ed. Ven. yssidele brin ed Med. — ith E — chyl C D — is E — them C D tem E — liphul C D — yth. chyl! ys chon them, C chon them. D.

Moversius sextum hunc versum sic interpretatus est: אִישׁ שֶׁדְּבָרִים תִּפְעַל אֶת כֹּל אִישׁ כֵּן תַּם לִפְעֹל i. e. ein Mann, von dem man sagte: er that alles, was recht ist, dass der Redliche thue. Equidem quum moversianam hanc interpretationem mente considero, cum libris quidem MSS satis bene illam congruere, vocabulorum autem in exitu versus occurrentium inter se iuncturam ita affectam esse cognosco, ut non intellegatur, unde et תם aptum sit et infinitivus לפעל. Haec igitur verborum structura tametsi vitiosa est, tamen verborum ipsorum nonnulla, ut לפעל, תם, איש, כל, את bene explicata sunt. Item vocabulum THYFEL, quod Ewaldius dixit esse Thiphel verbi פעל, mihi non displicet. Sed quae in versus initio leguntur vocabula 'א' ש propter iuncturae novitatem male mihi videtur interpretatus esse Moversius. Aliam ipse harum litterarum explicationem proponam in III. huius dissertationis parte.

Praeterea vocabulum chon i. e. כֵּן = fuit ingeniose iam ab Hugone Grotio (1630) enucleatum receptumque est a Munkio 1847, cuius interpretatio haec est: אִישׁ זֶה דבֵר אֱמֶת יִפְעַל את כל איש כֵּן תָּם לפעל. Huius explicationis pars posterior valde nobis probatur, prior non item. Neque enim vocales ultimae syllabae vocum אמת et דבר in libris leguntur; accedit quod optimorum codicum littera duplicata dd post

yssi neglegitur ab explicante. Quae si exprimi potest, non est, cur praetermittatur.

Iudasiana huius versus explicatio haec est: אִישִׁי דִּבְּרִים תפעל את כִּי לְאִישׁ כֵּן תַּם לפעל i. e. aiunt te fecisse hoc, sicut homini, quandoquidem consumptus est, faciendum. Fateor equidem interpretationem hanc iudasianam, quippe qua sani prorsus nihil contineatur, me non intellegere.

Hitzigius in interpretando hoc versu Moversium secutus est scribens: איש שדברים תִפעל את כל יְסְכַּן תָּם לפעל i. e. Ein Mann, von dem sie sagen, er übte alles, was ein Redlicher zu üben pflegt; differt a Moversio litterarum yschon explicatione, quas dicit esse יסכן i. e. solet, sed primum significatio illa a verbi סכן derivatione Kal aliena est; deinde requiritur pronomen rel. post את כל.

Sequitur iam Derenburgii interpretatio: איש ז דבדים פעל אית כל אש(ר) כן חם לפעל i. e. Cet homme, dit-on, a fait tout ce qu'il a dû faire. Hanc explicandi rationem consideranti mihi hoc primum se offert, quod littera d in yssiddobrim, quam optimi libri bis scriptam habent, a Derenburgio semel scripta est. Altero autem loco verbum פעל a codicum scriptura thyfel abhorret.

Schroeder totam Moversi explicationem adoptavit.

Quae restant Neubaueri et Rodwellii interpretationes novi nihil nos docent. Neubauer enim quum secutus sit magis quam mutaverit superiorum interpretum explicationes, satis cum illis consentit. Rodwellius autem, ut solet, in omnibus fere vocabulis interpretandis discedens a ceterorum interpretum investigandi ratione saepius erroribus implicitus est, quos enumerare longum est. Atque quum hinc ad textum emendandum nihil eveniat, et ut huic disputationi finis imponatur, adiungantur hic tantummodo comparandi caussa ad superiores illos emendandi conatus et Neubaueri et Rodwellii interpretandi rationes. Neubauer quidem sextum hunc versum sic censet restituendum esse יש דִּבֵּר מֵאִתּוֹ יפעל א׳ת כל יש כון תם לפעל i. e. it is said of him that he does all

that it is possible to do. Rodwellius autem talem huius versus interpretationem proponit: יש שעדה לעברים את אפל את חלי שקונתם לאפל i. e. (but) he is one of the company that walk in darkness, the host whose abode is darkness.

Quae posteaquam de sexto hoc versu disputata sunt, haec vocabula difficultatibus, quibus impedita tenebantur, expedita existimanda sunt: ys יש (Neubauer), siddobrim שדברם (Moversius), thyfel תפעל (Ewaldius), yth את (Hugo Grotius), chil (Sappuhnius) כל, ys איש (Ewaldius), chon (Grotius) כן, them תם (Sappuhnius), liphul (Grotius) לפעל.

§. 7.

De septimo versu.

Septimus versus latinus est: Eius filium esse hic praedicant Agorastoclem;

pun. cod. B: yth! binim! ysdybur! thinnochot nu agorastocles.

lect. var. uth CDE ed. Ven. — bynim ed. Ven. biram CE teste Baehrio, Pareo: binim — dibur CD — thyinno ed. Ven. thynno ed Med. — chutnu C cut nu E cuth nu ed. Ven.

Variorum interpretum explicationes sunt:

Moversii:	אֶת בְּנָם אֶשׁ דְּבֶרֶת אינכה יהי אג׳
Iudasii:	את־בנוֹ יֵשׁ דֶּבֶר תָּם הֵנִיחַ אֶת־נוֹחַ אג׳
Hitzigii:	את בנים אשׁ דִּבֶּרֶת הנה כה אִתָּנוּ אג׳
Derenburgii:	עוֹד בְּנָם יֵשׁ דִּבֵּר בֵּן מְיֻדַּעְתֵּנוּ אג׳
Schroederi:	אֶת־בְּנֵם יש דוּבְרָת הִנְּכֹּה אִתְּנוּ אג׳
Neubaueri:	אית בנם יש דברת הנה יָכוֹן אג׳
Rodwellii:	ואת בן אם יש הֻבְּרְתִּי הנאקותינו אנו׳

Sic iidem suum quisque versum transferunt:

Moversius: Dessen Sohn, sagt man hier, sei Agorastocles.

Iudasius: filium eius est fama ibi collocasse sedem Ag.

Hitzigius: Die Söhne betreffend, sagt man: sieh, es ist da bei uns Ag.

Derenb.: Encore disent-ils parmi eux qu' Agorastoclès est le fils de notre hôte.

Schroed.: Was seinen Sohn betrifft, so sagt man hier: siehe, hier bei uns (ist) Agorastocles.

Neubauer: His son, as it is said, is here Agorastocles.

Rodwellius: And Agorastocles, if I am rightly so told, is the son that laments him.

Moversius secundum vocabulum binim secutus Ewaldium censet esse בן cum suffixo III. pers. sg. masc. — im coniunctum. Transfert 'filium eius', quae interpretatio quum et respondeat versui latino et cum dicendi consuetudine Phoenicum consentiat, non est cur recta esse negetur. At vocabula איש et דברת, ut quae originem magis ab interpretum angustiis ducant quam ab ipsius linguae usu et necessitate, consentaneum est minus placere. De sequente vocabulo עינכה iam disputatum est, quum de V. versu dissereremus. Denique vocis יהי nullum vestigium exstat in libris MSS (TNV BCDE, THNV ed. Ven.)

Iudasius adversus codicum auctoritatem ut ad hebraicam huius suffixi formam magis accederet, binim mutavit scribens bino i. e. בנו. Non licet credere punicam linguam omnibus in rebus eandem fuisse atque hebraicam; in inscriptionibus quidem suffixum ו nondum repertum est. Litteras YSDYBVR existimat notare יש דבר i. e. fama est; at vero דבר mortem, pestilentiam significat, non famam. Sequuntur in codice B litterae THINNOCHOT, quas ille explicat hebraice תם הניח את falso, opinor; neque enim littera M vocis תם legitur in libris MSS atque, si e littera N in THIN restitueris litteram M, desiderabitur in vocabulo NOCH omne vestigium explicationis הניח; denique difficile est credere OT idem valere atque YTH. Praeterea vox נוח non sedem, domicilium significat, sed requiem.

Hitzigius verbi בן novum pluralem creavit explicans בנים filii; praeterea non commemorantur in textu latino com-

plures Antidamae filii, sed unus Agorastocles. DYBVRTH propter vocalium differentiam mihi videtur non posse דִּבֶּרֶת esse; accedit quod vocalis ֶ inter ת et ר non legitur in libris neque substantivum דברת adhuc aut apud Hebraeos aut in linguae phoeniciae monumentis repertum est. Litteras INNOCHO Hitzigius hebraice transcribit הנה כה i. e. ecce hic, quae interpretatio mihi videtur rectissima esse. At vero quae sequuntur litterae TNV non possunt esse אתנו.

Derenburgius primum vocabulum constans e litteris YTH dixit esse עוֹד, quasi non YTH, sed YD in libris MSS legeretur. Idem nobis persuadere non poterit binim esse בְּנָם 'inter eos' compositum ex praepositione ב et suffixo נָם (inscript. Eschmun. Iourn. Asiat. 1868. I. p. 99. Nam primum quidem vocalis I male nobis respondere videtur vocali A huius suffixi נָם. Hac autem explicatione coactus Derenburgius quum filium versus latini conaretur alibi quaerere, pessime has codicis B litteras DYBVR THIN NOCHOTNV interpretatus est דבר בן מדעתנו dicunt filium hospitis nostri. Apparet enim litteras TH, N, CH, O partim praetermissas, partim mutatas, alias adiectas esse. Litteras YS Derenburgius et Iudasius mihi videntur recte interpretati esse dicentes YS esse יש.

Schroeder scripsit binim punice בִּנֵם = filium eius ratus suffixum sg. III. pers. vocali Zere praeditum esse. Idem DYBVRTH censuit esse דוברת, quod mihi quidem, si de hac interpretatione cogitari potest, potius scribendum videtur דְּבֹרֶת. V enim dubito num sit Chireq, et Y censeo hic potius Schwa mobile esse quam longam vocalem ו. De ceteris explicationibus iam disputatum est.

Neubaueri huius versus interpretatio consentit cum ceterorum interpretum explicationibus uno vocabulo excepto. Nam quae in codice B leguntur litteras CHOTNV (CHVTNV C, CVTNV E, CVTH NV ed. Ven.) Neubauer ita mutavit, ut יִכֹּן = est inde erueret. Equidem ob nimiam scripturae codicum et huius explicationis inter se discrepantiam Neubauero adstipulari nequeo.

Rodwellius in primo vocabalo ו addidit, quae littera in libris MSS non invenitur. Secundo autem loco non possumus non fateri vocabula אם יש דברתי nos non intellegere nescientes, quid sibi velit particula יש. Denique optandum erat, ut vocales penultimae voci adderentur; neque enim patet, qualem aut verbi נאק aut substantivi נאקה formam Rodwellius voluerit a legentibus intellegi.

Quae quum ita sint, haec vocabula mihi videntur in septimo hoc versu explicata esse: binim = בִּנֵם filius eius (Ewaldius), yth = את (Petitus), ys = יש est, sunt (Gesenius), inno cho = הנה כה ecce hic (Hitzigius), Agorastocles אגו' (Petitus); dyburth est fortasse דְּבֻרַת; litterae TNV inter cho et Agorastocles nondum evidenter explicatae sunt, sed probabilis videtur Schroederi explicatio אִתָּנוּ apud nos.

§. 8.

De versu octavo.

Versus octavus et latinus et punicus est:

lat.: Ad eum hospitalem hanc tesseram mecum fero.

pun. cod. B: ythemaneth! ihychir saelichot sith naso.

lect. var.: emaneht CD emanche E — chyrsae C chirsę D chyrse E — aelychot C ęlychot D aelycot E aelycoth ed. Ven. — sit E.

Comparandi gratia recentiorum interpretum explicationes sic compono:

Moversi: אֵת אֲמָנַת יהי חֶרֶשׂ הַהֲלִיכוֹת שֶׁאתִי נָשָׂאתִי i. e. Zeichen der Beglaubigung sei die Gastrechtsmarke, welche ich bei mir trage.

Iudasi: אֶת־אֲמִנְתִּי חֲרֻשָׁה לְחוֹק זאת נָשׂוֹא i. e. fidem meam insculptam, pro statuto, eccam afferens.

Hitzigii: את אֱמנתי הוא חרש הליכות שאתי נשאתי i. e. Zeichen meiner Schutzverwandtschaft ist die Scherbe des Gastrechtes, welche ich bei mir trage.

Derenburgi: אית אֱמוּנָתִי היא חֶרֶס הלכות זאת(אנכי) נֹשֵׂא i. e. Je porte le signe de mon alliance, la médaille du voyageur.

Schroederi: אוֹת אֱמנתי הוא חֶרֶשׁ הַהֶלְכוֹת שאתי נשאתי i. e. Das Zeichen meiner Beglaubigung ist diese Scherbe des Gastrechtes, welche ich bei mir trage.

Neubaueri: אית אמנתי היא חרם הליכות אֶתְנַשֵּׂא i. e. My testimonial, that is, the journey-tablet, I shall carry —

Rodwelli: את אמנתי היא כיר הוק זאת נושא i. e. Here is my token of good faith — a graven image — this is it that I bring.

Ac primo quidem loco non est, cur Moversio adsentiamur affirmanti primum vocabulum YTH apud Poenos 'signi' notione indutum fuisse neque אות, ut Wexio placuerit, sed אֵת scribendum esse. Neque enim ullo argumento nititur haec interpretatio, quippe quum et vocabuli ἐϑώϑια, quod exstat apud Philonem, significatio ac compositio incertissima sit — Schroeder l. c. p. 175 vocabulum illud aliter explicat atque Gutschmidius in Fleckeiseni annalibus, qui dicuntur Jahrbücher für classische Philologie, 1876. fasc. 8. p. 514 — neque in lapidum monumentis adhuc vocula את i. e. signum reperta sit. Idem sequens vocabulum dicit esse אמנת, quae explicatio minus placet quam eadem Geseniana cum suffixo I. pers. sg. coniuncta אמנתִי. Vocales huius interpretationis fortasse paululum secundum codicum scripturam EMANETHI mutandae sunt. Litterae IHY propterea יהי significare nequeunt, quod vocalis I, quippe quae cohaereat cum praecedenti vocabulo, a sequentibus litteris HY separanda est. Litteras insequentes CHIRS, quae in omnibus libris MSS hanc unam subeunt mutationem, ut vocalis I mutetur altera vocali Y (codd. CE), Moversius Gesenii auctoritate commotus haud falso censuit esse חרש tesseram. Sed minus bene Moversius et qui illum imitati sunt vocabulum illud mihi videntur vocali Segol bis ornavisse, ut inde fieret חֶרֶשׁ. Nam quum in membranis legatur CHIRS vel CHYRS, melius videtur vocalem aut Segol aut Chireq, ut Schroeder fecit, semel scribere. Quae sequuntur litteras cod. B AELICHOT recte puto a Moversio Wexii auctoritate ducto explicatas

esse ההליכות, sequentia vocabula non item. Neque enim aut SITTI = שאתי legitur in libris, sed SITH (sit E) aut NASATHI = נשאתי, sed in omnibus libris nullo excepto NASO.

Iam examinemus iudasianam interpretandi rationem. Primam vocem YTH Iudasius Gesenii, Wurmii, Ewaldii exemplis commotus recte contendit esse notam accusativi את. At vero post secundam vocem Iudasium perspicimus in interpretando oblitum esse litteras HY. Idem insequentis vocabuli CHIRSA, quod censet esse חרשה, vocalem ֶ velut I pronuntiatam volt et alteram vocalem ֶ interpolavit, quam in codicibus non possumus invenire. Sequens littera E ab eodem omissa est. Litteras LICHOT (y above I) II, quippe quum T vel TH in exitu huius vocis occurreret, Iudasius falso dixit esse לחוק. Ultimum huius versus vocabulum NASO non potest esse, quod voluit Iudasius, נשוא afferens.

Hitzigii explicatio eadem fere est atque moversiana; sic autem differt a Moversio et Iudasio, ut secundum nomen statuat esse אֱמנתי prima vocali ֱ non ֶ scripta. Litteras HY existimat esse הוא, quod pronomen cum substantivo chirs coniunctum mihi haud male videtur respondere plautinis vocibus 'hanc tesseram'. Explicans autem litteras AELICHOT omisit Hitzigius vocalem A, quam si cum Moversio censemus articulum esse, certe in errore non versamur.

Derenburgius extremum huius versus vocabulum adversus omnium codicum scripturam NASO legit NOSE; praeterea nihil fuit caussae, cur vocabulum AELICHOT scriberetur הלכות; melius articulo non dempto scribendum erat ההלכות. Similiter nomen praecedens litterâ ש, non ם praeditum est. Atque quum neminem fugiat, quin חרש sit masc. gen., coniungitur pessime cum hac voce pronomen fem. gen. היא. Denique scriptura אמונתי propterea reicienda est, quod legitur in libris MSS emAnethi, et primam vocem yth contendere punice אית i. e. signum esse iam supra, ubi de Mo-

versii restituendi conamine dixi, uberius exposui interpretationem esse incertissimam.

Iam novitate insignis est Neubaueri interpretatio, qui ultimum huius versus vocabulum sithnaso existimat I. pers. sg. imperf. Hithp. verbi נשא esse. Attamen duobus mendis gravioribus laborat haec explicatio. Nam primum quidem omisit Neubauer litteram S inter aelichot et ithnaso, deinde vocalis O in exitu vocis ithnaso expressa non est Idem litteras BY sequentem versum aperientes בי i. e. mecum significare dicens Hithpaelis vim et naturam mihi videtur sustulisse. Censeo enim equidem 'mecum' illud versus plautini in hac ipsa Hithpaelis coniugatione quasi occultum iacere litterasque a Neubauero praetermissas satis observasse mihi videor vocabulum, de quo agitur, interpretans שאתנשא i. e. quam mecum fero. — Nova sunt vocabula כיר et הוק in rodwelliana huius versus interpretatione, quae minime probari potest propterea, quod Rodwellius inter CHIR et HOT non minus quam *sex* litteras SAELIC explicare praetermisit. Accedit quod in ipso vocabulo הוק littera ק contra omnium codicum auctoritatem pro T posita est.

Quae postquam de antepenultimo hoc versu disputavi, primum vocabulum yth censeo cum Lindemanno, Gesenio, Wurmio, Ewaldio, aliis recentioribus notam accusativi את esse; item sequens vocabulum emanethi cum Gesenio, consonantes si respicias, mihi videtur scribendum esse אֶמְנָתִי; vocales non nego paullum mutari posse. Litteras HY Hitzigius primus invenit esse pronomen demonstrativum הוא, litteras CHIRS Gesenius optime dixit esse חרש tesseram. Atque quum propter codicum scripturam CHIRS non ut apud Hebraeos vocabulum illud vocali Segol bis posse videatur praeditum esse, Schroedero adsentior scribenti חֶרִשׁ vel חָרִשׁ. Iam sequentes litteras AELICHOT tenebris quod expeditas videmus Wexio tribuendum est recte ELICHOT הליכות explicanti; Moversius articulum adiunxit. Fortasse secundum codicum scripturam ELICHOT scribendum est

הֶלְ' pro הַלְ' et אֶמְנָתִי pro אַמְ'. De interpretando difficillimo huius versus exitu optime meritus est Neubauer Hithpael verbi נשא eruens e litteris ITHNASO. Quo argumento qui utebatur ei non iam difficile erat perspicere in ipsa Hithpaelis forma 'mecum' illud versus plautini occultum iacere et pronomen relativum שׁ coniungere cum verbo.

§. 9.

De nono versu.

Nonus versus latinus est:

Is in hisce habitare monstratust regionibus.

pun. cod. B. bynny id chil. liichily gubulim lasibic[t] thim.

lect. var.: bynni E ed. Ven. — luhily C liihily D luhily ed. Ven. non ut est apud Wexium et Gesenium luhili — lasibithym C lasibit thym D ed. Ven. lasibithim E.

Moversius nonum hunc versum sic litteris et punctis hebraicis transcribit: כִּי נוֹעַד כִּי אֵלוּךְ אֵלֶּה גְבוּלִים לְשֶׁבֶת המו i. e. Man zeigte mir, dass hier jene Gegend sei, wo er wohne. Moversianam hanc interpretationem nobiscum reputantes miramur, quod verbo יעד praepositio ב ad designandam personam, cui quid indicatur, attribuitur. Deinde quum in omnibus libris MSS. post BY litteram N bis scriptam videamus, non licet temere unam ex his litteris expungere. Item dubitandum est, num codicum scriptura NYID conveniat cum נועד; praeterea persona huius verbi cognosci non potest. Moversius enim quoniam vertit 'designatum est', cogites oportet de III. pers. sg. Ni; haec autem persona esset in lingua hebraica יועד, non נועד. Quartam vocem אלוך idem affirmat ex אלוכה ortam esse. Hoc autem vocabulum primum non exstat in litterarum monumentis, deinde non legitur post CHI altera vocalis I. Eadem ratione ultimum huius versus vocabulum המו a Moversio inventum est et illud quidem contra codicum auctoritatem; לשבת autem recte iam a Bocharto explicatum erat; restat, ut litterae versum concludentes explicentur. Vocabulum גבולים iam a

Petito repertum est; item Moversius Bochartum, Sappuhnium, Verbruggium, Bellermannum, Lindemannum, Gesenium, Wexium secutus litteras ILY ante gubulim recte scripsit hebraice אלה.

Hitzigii interpretatio haec est: ונוֹעַד כי אלוך אֱלוּ גבולים לְשִׁבְתָּהֶם i. e. und bedeutet wurde: hier, schaue, ist der Bezirk ihres Aufenthaltes. Hanc explicandi rationem considerantibus nobis primum displicet, quod de complurium hominum habitatione hic agitur, in versu autem plautino de Agorastocle solo disputatur. Vocabulum ונועַד non congruit cum librorum scriptura BYNNYID; est enim difficile credere litteram B respondere hebraicae ו. Deinde quis unquam audivit perfectum in lingua hebraica eadem ratione cum ו consecutivo coniungi, qua imperfectum? Accedit quod nescimus utrum apud Poenos in usu fuerit Vav consecutivum necne; in inscriptionibus quidem adhuc explicatis certe non invenitur Vav consecutivum.

Nec minus aliena a veritate sunt, quae Derenburgius hac interpretatione בִּיְנוּ אית כָּל אלה היא לו נבלים לְשֶׁבֶט תם i. e. on m'a indiqué tout cela comme des propriétés qu'il habite — e versu punico enucleasse sibi visus est. Primam enim vocem scribens בינו (de בִּין eam derivandam ait ut קִימוּ de קום) peccavit et in grammaticam et in codicum scripturam ita, ut litteram I, quae non legitur illic, dupliciter, litteram N dupliciter exstantem semel scriberet. Idem secundum vocabulum, quod in libris ID legitur, scripsit אית. Tertium vocabulum dixit esse כל, sed verbum 'omnes' deest in textu latino. Censeo enim equidem, nisi rei perspicuitate cogimur, nobis non esse interpretanda e punicis versibus, quae latinis non contineantur. Iam quae sequuntur, litteras LI idem explicat esse אלה, quod profecto quam verum sit difficile est intellegere. Sequentium litterarum ICHILY B aut LVHILY C LIIHILY D priores duas, ut quae videlicet ad explicandum minus accommodatae videantur, praetermittit, sequentes duas HI dicit esse היא, duas extremas LY censet esse pronominis personalis dativum לו ita, ut

omissis litteris IC haec omnia additis quae antecedunt vocibus sic hebraice vertat אית כל אלה היא לו, quam structuram equidem animo comprehendere nequeo. Penultimum vocabulum recte hebraice non scribitur לשבט, quoniam littera ת non ט in fine vocabuli ponenda erat. Sed, credo, ni hoc fecisset Derenburgius, ne ultimum quidem verbum thim תם explicare potuisset. — Iudasius consentit in interpretando hoc versu cum Bocharto et Gesenio. — Schroederi interpretatio (ה)בְּנוּ יָד כי אלוך אלה גבולים לְשִׁבְתֵּם i. e. sie wiesen mit der Hand: hier sei die Gegend, wo er wohne — a ceteris non differt, praeterquam quod bynny id dicit esse בנו יד. Prior vox est secundum Schroederi explicationem III. pers. pl. perf. Hi. verbi בין dempta priore syllaba הֵ et acuta sequente pro הבינו. Alterum vocabulum יד accusativus instrumentalis est. Equidem Schroedero tales explicationes necessarias existimanti adsentiri nequeo. Idem quum ultimum huius versus vocabulum rectissime לְשִׁבְתֵּם explicans metrice constituit lăsībīthīm, nulla necessitate coactus (aliter rem ipse expediam) ita in metrum peccat, ut brevem syllabam si in lasi accentu acuat scribens lasí.

Eadem ratione video Neubauerum extremam huius versus vocem interpretatum esse scribentem: כי הנה אדכל לאלה גבולים לְשִׁבְתֵּם i. e. with me. Behold, I will enter this district, to his lodging. Ac primum quidem littera ל ante pron. dem. אלה non legitur in MSS, sed H; item omissae sunt quae praecedunt litterae LIIC. Desideratur in Neubaueri interpretatione 'monstratust' illud versus latini. Cuius vocabuli loco verbum אדכל (apud Arabes dakhala) usurpatum est, vox, ut mihi videtur, non satis certa et codicum scripturae repugnans. Neque enim ulla vocalis legitur inter id et chil. הנה i. e. ecce mihi bene e codicum lectione ynny erutum videtur et pro בִּי = by mecum, quoniam mecum illud octavi versus in Hithpaelis forma verbi נשא occultum iacet, propono, ut legatur בֵּי i. e. ad eum, quae vocabula

versus octavi latini nondum explicata erant punice. Cf. III. huius commentationis partem, quae propediem in lucem prodibit.

Rodwellianae interpretationis, quae eadem fere est atque Bochartiana בִּינִי כִי לוֹ אלה גבולים לשבת תָּם i. e. indicavit mihi testis eum habitare in his finibus, pars posterior non differt a ceterorum, quas tractavimus, interpretum explicationibus. In priore parte vocabulum ביני non consentit cum grammaticae norma et litteram N adversus codicum auctoritatem semel exhibet. Quod sequitur vocabulum אח non invenitur in libris MSS. Vocabula עד כי rectissime mihi quoque videtur interpretatus esse Bochartus.

Quae quum ita sint, in nono hoc versu Gesenius et Neubauer recte perspexerunt ynny esse הנה, Bochartus litteras id chi ily gubulim lasibith mirifice explicavit עד כי אלה גבולים לשבת, Schroeder recte suffixum III. pers. sg. m. in ultimo huius versus vocabulo cognovit scribens לשבתם.

§. 10.

De decimo versu.

Decimus versus est:

lat.: Hos percontabor, qui hinc egrediuntur foras.

pun. sec. cod. B: bodialy therayn nynnurs lymmon choth lusim.

var. lect. bodyalit heraym nynnuys C. bodyalyt herayn nunnuys D bodialit herayti nynnius E bodyalyt herayn nyn nuys ed. Ven. — chot CD coth ed. Ven. — lusin E.

Moversius decimum hunc versum sic interpretatus est: בְּהֹדֵי אִישׁ לְתֶרַע הִנְנִי אֶשְׁאַל המון כה את יצאים i. e. bei diesen Leuten an der Thür will ich fragen sie hier, die Herauskommenden. Primum vocabulum, Moversium si sequimur, compositum est ex הדי, quod dicit pronomen demonstrativum esse, et praepositione ב apud. Periculosum mihi quidem videtur in interpretandis Punicis vocabula adhibere, quae originem suam magis interpretum angustiis debent quam dicendi consuetudini. Sequentis singularis (איש) loco, qui

ne invenitur quidem in libris MSS, pluralis exspectatur. Quarta vox הנני propterea displicet, quod in omnibus libris littera N post alteram syllabam vocis ynnynnu bis legitur neque vocalis V potest hebraice י esse. Porro si in codicibus ysyl legeretur, sequentis vocabuli explicatio bene se haberet; at vero quum rsly (B) ysly CD illic legatur, veram esse explicationem moversianam cogitari non potest. Item in interpretandis litteris ymmon non intellego, cur littera M bis in codicibus scripta semel omissa sit. Litteras autem 'th, si re vera nota accusativi sunt, ut Ewaldius mihi recte videtur monuisse, necesse erat vocabulo CHO praecedere. Denique quum in omnibus libris lusim legatur, dubitare licet, num mutandum sit illud vocabulum.

Ut breviter nunc iudasianam decimi versus interpretationem בּוֹא דַי עֲלֵי תְּרָעִים הִנּוֹ אשאל אִם מנכר לוֹ שֵׁם i. e venit sufficiens ad portam; ecce eum, interrogabo, num cognitum ei sit nomen — perstringamus, primum vocabulum bo dicit esse בּוֹא venit. Ego autem semper didici III. hanc pers. Qal esse בָּא, quod quidem si pronuntiaretur bô, equidem non haberem, quod contra talem pronuntiandi rationem dicerem; sin autem interpretes in explicandis his versibus iterum iterumque ad nova verborum genera codicumque scripturam creberrime commutandam confugiunt, ex hac ipsa re optime cognoscitur, in quantis versentur interpretes angustiis. Idem quae sequuntur litteras di quamquam hebraice censet esse די = sufficiens, tamen non dubitamus hanc explicationem et ridiculam vocare et a versu plautino alienam. Litteras sequentes aly theraym (c) dicit esse עלי תרעים, sed tota haec interpretandi ratio „venit sufficiens ad portam" non continetur versu latino ob eamque rem nego tale quicquam e punico versu eruere licere explicantibus. Iam sequuntur in cod. B C D ed. Ven. litterae nynnu, quas Iudasius הנו 'ecce eum' significare putat. Obstat huic explicationi littera N in initio huius vocabuli posita. Reliquam

interpretationis iudasianae partem „num cognitum ei sit nomen,“ quae versui latino minime respondet, omittimus.

Iam sequitur Hitzigii haec interpretatio וְעוֹדִי עלי תרע אֵינֶנּוּ אשאל המון כה את יוצאים i. e. und ich bin noch bei der Thür? Nichts da! ich will sie fragen, die da herausgehen. Huius explicationis priorem partem propterea totam reicimus, quod in simplicissimo illo versu plautino tale nihil reperitur; altera autem pars a Moversii explicandi ratione non differt. — Derenburgii explicatio בְּעֹדִי עַל אֲהַר אֱמוּנֵנוּ אשאל הַמְּשׁוֹת לְחוּצִים sic ab eodem vertitur sermone vernaculo: me trouvant sur la terre de nos alliés, je veux interroger celles (les femmes) qui sortiront dans la rue. Priorem huius interpretationis partem „me trouvant sur la terre de nos alliés“ repugnantem et versui plautino et librorum MSS scripturae nobis licet praeterire. Nec vero rectius explicatur המשות codicibus scripturam ymmonchoth praebentibus. Ultimum vocabulum חוצים, cuius penultima longa est, in metricam rem peccat et apud Hebraeos pluralis חוצות in usu fuit.

Schroeder sic censet hunc versum restituendum esse: בעדי עלי תרע הִנְּנִי אשאל המון כה את־יצאים i. e. ich will nach ihm (seinetwegen!) hier an der Thür die Leute fragen, die dort herauskommen. Primae vocis interpretatio nova est; censet enim Schroeder vocabulum בעדי hebraice בעדו compositum esse e praepositione בעד bod et e suffixo III. pers. sg. Quae praepositio quum nondum in monumentis cognita sit, res dubia est, praesertim quum non inveniatur in versu punico pron. personale aptum e percontandi verbo. De ceteris vocibus supra iam disputavi.

Neubaueri hanc interpretationem אבא הודע לי תרעים הנה אשאל עַם הַנְחַת לְשָׁם i. e. „I shall come, as it was told to me. There is a door, I will enquire of the people who are coming out“ animo considerantibus iam primum vocabulum in suspicionem venit propterea, quod bo in codicibus legitur, ille vero explicavit has litteras, quasi abo legeretur. Secundam vocem הודע equidem in librorum scriptura dia (dya) cognoscere nequeo. Efficitur ex hoc, ut pronominis personalis dativus לי, ut qui pendeat ex illo demonstrandi verbo, verisimilis non sit. Vocabulum הנה mihi tamdiu videtur certo explicatum non esse, quamdiu ignoramus, utrum ynnu an additis duabus litteris anteeuntibus, quas Neubauer cum thera coniunxit, ynnynnu i. e. הנני scribendum sit. Quod sequitur vocabulum עם = אנשים non consentit cum lectione ymm, similiter הנחית non quadrat ad litteras onchoth, praeterea Hiphil huius verbi significat efficere, ut quis descendat. Denique לשם indutum non est notione foras; accedit quod utrumque adverbium et hinc et foras in versu punico quaerendum erat.

Rodwellius quum decimum hunc versum punicum sic interpretaretur בעודים על תרע הנני יש להם המון קוטי לעזים i. e. hic apud portam inter iter facientes sum, inter illos multi sunt, quos taedet orationis meae — longius a tanta versus plautini simplicitate „Hos percontabor, qui hinc egrediuntur foras“ abscessit, quam cuius explicationem diutius examinare operae nobis pretium videretur.

Posteaquam igitur cognovimus, in quantis versarentur interpretes difficultatibus, iam minus miramur, quod decimi huius versus punici nulla explicatio ita cum codicum scripturis et sensu versus plautini consentit, ut omni dubio careat.

Sequatur criticam hanc de decem illis versibus disputationem tabula vocabulorum interpretum opera adhuc restitutorum:

1. yth alonim valonuth si corath . . . .
2. chi . . . .
3. . . pho . . . . . . yth bynuthi . . . . byn ui
4. . . . . . . syllohom alonim . . . . mysyrth . . . . . .
5. . . . . ynno cho . . . . . . Antidamas chon
6. ys siddobrim, thyfel yth chil, ys chon them liful
7. yth binim ys . . . . . . inno cho . . . . Agorastocles
8. yth emanethi hy chirs aelichoth sithnaso . . . .

9. . . ’nny id chi . . . . ily gubulim lasibithim
10. . . . .

i. e. hebraicis litteris:

1. את אלנם ואלנת שקרת . . . .
2. כי . . . .
3. . . . פה את בנתי . . . . בן אחי
4. . . . . שלכם אלנם . . . משרת . . .
5. . . . . הנה כה . . . . . . אנ׳ כן
6. יש שדברם תפעל את כל אש כן תם לפעל
7. את בנם יש . . . . הנה כה אג׳
8. את אמנתי הא חרש ההלכת שאתנשא
9. . . . . הנה עד כי אלה גבלם לשבתם
10. . . . .

i. e. latine:

1. deos et deas, qui urbem . . . .
2. ut . . . .
3. . . . . hic filias meas . . . . filium fratris mei
4. . . . . quae vobis dei . . . . servus . . . .
5. . . . . ecce hic . . . . Antidamas fuit
6. sunt dicentes: fecit omnia, quae erant apta ad faciendum
7. quod ad filium eius attinet, est . . ecce hic Agorastocles
8. quod ad fidem meam attinet, haec (est) tessera hospitalitatis, quam mecum fero,
9. ecce testis, quod . . . hae regiones . . . . ad habitandum.
10. . . . .

Habes iam in manibus, lector benevole, primam huius commentationis partem, ubi illa disputatio absolvitur, qua investigavimus, quae interpretum opera adhuc in explicandis decem versibus recentioribus perfecta essent; altera commentatio, quae ipsa in tres partes divisa est, propediem in lucem prodibit possuntque iam nunc qui optant, ut haec altera pars sibi mittatur, auctorem Marburgi habitantem certiorem facere. Pretium utriusque commentationis erit 1 m. = 1 sh. = 1 fr. 25 cts. d. XX. m. IX. a. 1882.

VITA.

Ego Gerhardus Iulius Nicolaus Henricus Hennen patre Nicolao Hennen, reorum in tribunali Trevirensi patrono, matre Elisabetha Iulius usus mundi lucem conspexi *Augustae Trevirorum*, in urbe ornata quondam imperatorum Romanorum frequentia eorundemque monumentis etiamnunc celebri, die XXVIII. mensis Aprilis anni huius saeculi quinquagesimi noni. Litterarum elementis, quae decent puerulum, postquam satis diu eruditus esse visus sum, undecim annos natus eo ipso tempore, ubi pater morte ablatus ingensque inter Gallos et Germanos bellum conflatum est, ad ea studia institutus sum, quae inde ab illo tempore per duodecim annorum spatium semper retenta animo, nunquam remissa vitae meae elegi ducem clementissimum. In gymnasio Trevirensi per decem et septem semestria litteris, quae humaniores dicuntur, eruditus Romanorum, Graecorum, Hebraeorum potissimum linguas excellentium virorum ductu, Antonii Wingen latinae graecaeque, Iosephi Ewen hebraicae peritissimi, magno opere adamavi. Examine feliciter superato Gallorum linguae discendae caussa per sex menses in *Belgarum* finibus moratus indeque in Germaniam reversus per menses hibernos anni 1879—80 Monasterii, Guestfalorum in urbe, inde ab aestate anni 1880 per quattuor semestria usque ad ver anni 1882 in universitate Fridericia Guilelmia Rhenana Bonnensi, denique a vere huius anni Marburgi Romanorum, Graecorum, Hebraeorum, Phoenicum potissimum linguis operam navavi. Docuerunt me *Monasterii:* Hagemann, Koerting, Langen, Parmet, Stahl, *Bonnae:* Bücheler, Gildemeister, Kaulen, Lübbert, Neuhaeuser, Usener, *Marburgi:* comes de Baudissin, Bergmann, Bormann, Iulius Caesar, Kessler, Leopoldus Schmidt. Viris amplissimis Frenken et Schlink Coloniensibus propter benevolentiam, qua in me studiaque mea usi sunt, gratias ago quam maximas aeque atque Iulio Caesari et Leopoldo Schmidt, philologis Marburgensibus, comiti W. de Baudissin Marburgensi, Ioanni Gildemeister Bonnensi, qui scribentem me et polientem hanc commentationem benignis consiliis adiuverunt. Comes de Baudissin, quod mihi primum meum in litteris tentamen tali virorum doctorum studio minime dignum iudicanti praecipuo honori est, schedas corrigendas summa cura et benevolentia suscepit.